DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis 16 Februarii 1730.

M. ANTONIO DE JUSSIEU, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiarumque Societatum Angliæ ac Pruſſiæ Socio, & Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſore ac Demonſtratore, Doctore Medico, Præſide.

An inveteratis alvi fluxibus SIMAROUBA?

I.

QUANTA alvi fluxuum, tanta illos medicandi methodorum varietas. Morbi quidem vulgares inter cæteros, ac in principiis leves. Unde tamen tam crebro ingraveſcunt? quòve fit ut queis tot ſalubria celebrantur auxilia, plerumque vel efficacioribus non cedant! Si à proximiori causâ rectam curationis rationem petis, nulla videtur ſimplicior ſtomachi primùm, dein inteſtinorum, functionis læſio: utri tamen ab excretorum naturâ exploratæ occurrere nitaris, votis raro cura non reſpondet. Nunc ex indigeſtis excretionibus Cœliacum tibi curandum judicas affectum; at incaſsùm ſæpius ſtomachica cardiacis, ſtomachicis abſorbentia viciſſim ſubminiſtrabis. Nunc albicante dejectorum colore Lientericum, ob clauſa vaſorum lacteorum ac lymphaticorum ora, te ſuſpicantem morbum fallunt miſta anodynis aperientia. Si ex veteraſcente crudi ac ſeroſi humoris fluxu pertinacem Diarrhœam ſtomachum ſimul ac inteſtina afficientem agnoſcis, an ei certò anocatharticis narcoticiſque medeberis? Frequentemve ipſam furentis per inteſtina bilis excretionem, an acidula oleoſis obtuſa ſecurè compeſcuiſſe expertus es? Non torminoſæ cruoris ex inteſtino profluentis eruptiones mucum tenacem tingentes, quæ Dyſenteriæ nomen audiunt, ſtatim aut lenientibus, aut incidentibus, aut purgantibus, vomitoriis, ipsâque radice Braſilianâ ſedantur. Nec de continuæ humorum carnis loturam referentium evacuationis, licet abſque doloribus Hepaticum fluxum nuncupatæ curâ amaris balſamiciſque medicamentis, aquiſve mineralibus ſuſceptâ tibi plaudes. Extremum mali diſcrimen, diuturnitas: principiis non obſtitiſſe peccatum grave fuit atrocibus ſymptomatibus luendum. Nutritio primùm ſucco defraudatum corpus emaciatur, gravius genibus factum onus, colliquantur carnes, vires deficiunt, hinc acriori crudoque affluente excremento interior inteſtini membrana excoriatur, pungitivus urget interdum dolor, frequens inaniſque inſtat dejiciendi

cupiditas, ſuccedit abdominis tenſio, vomitus, urinæ ſufflaminatio, hydrops, femorum ac pedum intumeſcentia, frigus, deliria, ſpaſmata & ſingultus proximæ certioriſque mortis nuntii.

I I.

A minus cognitâ labis cauſâ, tota ægritudo, omne periculum pendet, unde ſalubriorum medicaminum fallax experientia. Errori occurrendum; illius originem non tam à pravâ alimentorum naturâ aut digeſtione ac chyloſi vitiatis quàm à præternaturali fibrarum inteſtinalium motu petamus. Qui ſpaſmodicus in capitis, abdominis, artuum muſculis tot varias morborum larvas induit; an non & inteſtina valet afficere? Quidni cùm ficta ſit in ſpiras fibroſæ eorum membranæ ſubſtantia, faciliùs huic motui non erit obnoxia? an quia obſcurè fit, oculiſque non ſubjacet, ideo incertior? qui motus ſponte propellendis inferius excrementis æquâ vibratione conſtat, num frequenter ac irregulariter non peragi poteſt? id inſolitæ & repetitæ excretiones indicant, tormina, teneſmuſque ipſe arguunt. Si ob ignotam phyſiologis ſucci nervei naturam motuum alias corporis partes convulſivè afficientium cauſam explanare antiquus labor fuit, inteſtina torquentium non minor eſt. Unum ſufficit parem eſſe ab hoc frequentiori, irregularique motu ſymptomatum rationem. Aſpice ut in Epilepticis ab effræni alternâque nervorum diſtenſione & atoniâ, omnis generis excrementa invitè eliminantur! Cerne, ut in ſingularibus oculi vel ſtomachi, vel uteri fibrarum ſpaſmis lachrymæ ultrò fluunt, alimenta, ipſe ſtomachalis ſuccus evomuntur, & fluor albus exprimitur! ſic durante aut renovato inteſtinorum ſpaſmo compreſſæ eorum glandulæ viſcerum exſudant mucum ſtatim cæteris cum humoribus excrementitiis violenter protruſum miſcendum. Sanguine tunc copioſiùs ad læſam illorum aliquam partem appellente, ibique hærente tenuicula ejus vaſa liquore quaſi à ſyphone anatomico injecto diſtenta tument, phænomen in diſſectis dyſentericorum cadaveribus obſervatum, aliud irritamenti genus convulſivo ſuperadditum ægritudinem diutiùs protrahens. Spaſmum inteſtinalem his characteribus non agnoſcis? novum ſume ex aliarum partium motus convulſivos curandi ratione argumentum. Quibus hi ſedantur medicaminibus? anodynis, tenſionem ſolventibus, dolorem lenientibus, non fortiorum narcoticorum velut opii more ſed temperatioribus quibus antiſpaſmodicum nomen datum fuit: quæ ſi præternaturalem hunc inteſtinorum motum pariter compeſcunt, vera certioraque inveterati alvi fluxûs erunt remedia.

I I I.

INSANABILEM tamen morbum dicere pudebit cui debellando medicaminum myriades dicatæ ſunt; vel deſperatos non orco dabimus ægros ſemeſtri, annali, biennalique ſeroſi aut ſanguinolenti humoris biliſve fluxu laborantes, dum nulla eſt antiquorum recentiorumque Botanicorum pagina quæ alvum ſiſtentibus aut antidyſentericis non abundat: tantam nihilominus inter remediorum copiam ſalubriùs unum præ cæteris veteris ævi Medicos celebraſſe nemo dubitat, neſcio quo fato temporis ſucceſſu deperditum. Hoc Dioſcorides, Plinius, Galenus, & Serapio Macerem unanimi conſenſu appellant, corticem arboris in Barbariâ, ut aiunt, ætate ſuâ creſcentis. Illum eumdem admirandæ virtutis inter exotica, Europæorum commodo, recèns reperta in Malabaricis oris & ſanctæ Crucis inſulâ Indiæ Orientalis, Garcias ab horto & Chryſtophorus à Coſta commemorant, paris, ut narravêre antiquiores, efficaciæ contra cruentas alvi excretiones, teſtes occulati. Talem Hiſpali Monardus, & apud Batavos Cluſius ſimili in cortice ex his ſibi regionibus allato admirati ſunt. Quem ſi Indico ab his Autoribus obſervato, ferè omninò ſimilliimum nobis Guiana præbet Franciæ æquinoxialis inſula; cortex ex arbore SIMAROUBA apud incolas nuncupatâ; ut Macer, ſic ille nobis eſt exoticus; parem jam quindecim abhinc annis apud nos,

quàm apud Guianenſes, effectum conſtanter præſtat; color ei ex albo flaveſcens, nullus odor, ſapor ſubamarus, lenteſcentibus fibris conſtans, candido, leviſſimo inſipidoque radicum, ſtipitum, truncique ligno hærens à quo facilè ſeparatur. Decoctus primùm ad unciam unam aut ſemiſſem in minimâ aquæ copiâ, ſic apud nos ut in Guianâ propinatus; vomitus ſæpè, incommodoſque ferè ſemper ſudores, & majora nonnunquam ſeri ſanguiniſque profluvia promovit, quo factum eſt ut pænè oblivioni datum ſit; ſed correctis doſibus experientia rerum magiſtra ſalubritatis punctum attigit. Corticis minutim ſecti drachmas duas in aquæ libris duabus ad tertiæ humiditatis conſumptionem decoque, decocti in doſes quatuor diviſi unam tertiâ quâque horâ tepidam propina, vel corticis aut ligni pulveratorum drachmam ſemiſſem in aquæ puræ unciis duabus dilutam, aut cum adianti ſyrupo in bolum redactam pro unâ doſi, horâ oppottunâ præbe, repetitis hujus medicaminis ſub quâlibet formâ doſibus ad integram uſque ſanationem. Perficitur illa abſque ullo decocti potûs faſtidio, ullâ per vomitum, vel per ſeceſſum evacuatione; ſedantur tamen unius diei ſpatio dolorum cruciatus, redit citò ſomnus, urinæ fiunt copioſiores & limpidæ, rariores evadunt evacuationes, fæcum odor fætidus ceſſat, color immutatur, è liquidis incraſſeſcunt, cibos æger appetit, & brevi reficitur.

IV.

ADMIRANDÆ virtutis cauſam ſiſcitaris; in ipſâ Guianei corticis cum ſpaſmodici inteſtinorum motûs ratione reperies. Hic præternaturalis habetur, nonniſi quia vel citatior, vel irregularis, nec voluntati obtemperat, mero ſucci nervei vitio, cujus non modo depravationem corrigendi, ſed & motûs frequentiam coërcendi Gummi-reſinoſæ Simaroubæ partes vim habent. Quid contra morbi ſacri, hyſtericæ & melancholicæ affectionum convulſivos motus aliud præſtare valent celebrata medicamenta Viſci arborum, Pœoniæ, Aparines ac Gallii pulveres aut decocta? Quove tendunt leviter narcotica, Croci filamenta, Cynogloſſi radix, Lactucæ ſylveſtris folia, Papaverum capita, & Hyoſcyami albi Stramoniique ſemina? ſi convulſivos illa cæterarum corporis partium motus ſiſtant, quidni & inteſtinorum? id Simaroubæ peculiare eſt præ cæteris, ut dum illa convulſivos motus curant, functiones alias lædant; his ſalvis, illos ſolus Guianeus cortex ſanat: immò dum inteſtinis in decocto propinatus Balſamum ſuppeditat, ſtomachum etiam immoderatis alvi fluxibus debilitatum corroborat, ciborum appetentiam excitat, eorumque digeſtioni amaris, inciſiviſque partibus favet, nec-non & eroſæ inteſtinorum menbranæ interiori ſublatum ab acrioribus exrementis mucum reſtituit. Novo ergo efficaciſſimoque medicamine ſimplicium claſſis hoc cortice locupletior fiet, cum ſingulari virtute antiſpaſmodica, ſtomachica, narcoticave vulgaria præcellat, cùm aſtringentia longè ſuperet, quæ non impunè fluentibus hæmorrhoidibus aut mulierum catameniis interiùs præbentur, feliciterque hauſto Simaroubæ decocto, ceſſante noxio alvi fluxu evacuanda, fluentiaque cætera liberè ac ſecurè eliminentur; unde & antihyſtericâ vi plerumque pollere pluribus experimentis probatum eſt. Abſit tamen ne Empiricorum more hoc unicum efficax certò remedium univerſi generis alvi fluxibus, convulſiviſque motibus pronuntiemus: cùm ſerobilioſas, mucoſas, ſanguinolentaſque ex cancroſo inteſtinali ulcere, vel ex pulmonum abdominiſque abſceſſu excretiones curatu impoſſibiles bonâ fide agnoſcamus. Naturali medicaminis efficaciæ unum addamus ad perfectam ægri curationem obſervandum neceſſariò, nempè & in ejus quâcumque aliâ inveteratâ excretione uſu applicando prudentiam, & in arboris cortice aut ligno eligendo, & in eo decocti vel pulveris formâ adminiſtrando, pro variâ ægrorum ægritudinumque ratione, nec-non de doſi præfiniendâ temerè non ſtatuendum, cùm evacuatis jam ſtomachi primarumque viarum ſordibus factum mitiùs malum

fibres pliantes.

Le Simarouba est composé de gomme resineuse qui n'est pas desagreable. il appaise les douleurs et les tranchées par ses parties balsamiq. et onctueuses qui se connoissent par sa couleur laiteuse que cette Ecorce donne a l'eau dans laquelle on la fait bouillir. il arrête les hemorragies et les flux de ventre par sa vertu astring. et vulneraire. Elle est arrivée en 1710 et en 1718 M. A. de Jussieu l'employa dans des dyssenteries occasionées par les chaleurs excessives de l'eté et que l'ypecacuana et les autres purg. augmentoint.

2

Cette Ecorce en dec. fournit aux intestins un baume qui les resserre; fortifie l'Estomac. Excite l'appetit; aide a la digestion par ses parties ameres et incisives, et rend a la membrane des intestins qui est comme [illegible] le mucus que les excremens trop acres ont enlevé. Elle surpasse les autres remedes anti-dissenteriq. par sa vertu singuliere, anti-spasmodiq. — stomachiq, ou narcotique. Elle vaut bien mieux que les astringens que l'on ne peut pas donner impunement, lorsque les hemorroides, ou les regles coulent. mais lorsque l'on a bu de la decoction de Simarouba le flux cesse et on fait evacuer librement et surement ce qui doit etre evacué et ce qui doit couler. quare sæpe est anti-hysteri[que]

Elle convient dans les flux de ventre sereux, bilieux, sanguinolens, muqueux, [illegible] a cause du continuel mouvement convulsif des intestins, ou il n'y a pas de fievre ni de derangement d'Estomac et dans les lienteries. la dose varie selon les malades et la maladie. car si les premieres voies ont eté vuidées et que le mal soit plus doux 3β en poudre une ou deux fois suffit, mais s'il y a de la cacochimie avec les autres facheuses simptomes, il faut plusieurs doses de cette dec. matiere. Mem. de Geoffroy. mem. de l'acad. des sciences ann. 1729 et 1732.

ſemidrachmæ ligni pulverati uni vel alteri doſi quandoque cedat, & contra accedente cacochymiâ ad ſæva morbi ſymptomata non-niſi pluribus repetitis decocti corticis doſibus vincatur.

V.

PRÆSENTANEORUM medicaminum ea eſt ſors, ut in ſcænam medicam vix proferantur, quin innumeris telis oppugnentur; patentis efficaciæ laus perſæpè ſubdolis rationibus minuitur: ſic non ſine convitiis Cortex Peruvianus, felicem ſibi aditum in ſimplicium medicamentorum familiam fecit. Cognitâ jam Ipecacuanhæ virtute, ſi non inutilem, tantùm, ſaltem ei ſuccedaneum concedunt eſſe Simaroubam, nullo utriuſque facto agendi diſcrimine, nullâque obſervatâ alvi fluxuum differentiâ. Dyſenterias vel ab infarcto ſtomacho, vel ab obſttuctis meſenterii aut inteſtinorum glandulis excretiones vomitu curare Braſilianæ radici detur; cortici Guianeo ſeroſobilioſos, ſanguinolentos, mucoſoſque alvi fluxus à continuo inteſtinorum convulſivo motu inveteraſcentes, illæsâ ſtomachi functione & abſque morſu ſedando ſanare concedatur. Spaſmodicis inteſtina motibus affici poſſe quis neget, frequenti excretorum præcipitatione, viſcerum torminibus, recti teneſmo, ſymptomatumque ſubitâ poſt hauſtum medicaminis anodyni potum ceſſatione convincatur, ſi novam hanc proximam diarrhœæ fluxûſque hepatici cauſam agnoſcere nemini non licet; quidni ſoli exotico medicamini tribuendum, quod à noſtratibus antiſpaſmodicis obtineri pariter non poterit? horum uſu levamen certò, rarò ſanationem perfectam conſequeris: horum inefficacia remedium præſtantiori virtute præditum deſiderari hactenus probavit. Nec primæ, nec alteri, nec tertiæ doſi nonnunquam malum cedere objicient fortè, nonnullaque aliquoties redire morbi ſymptomata, ac indureſcentia, curationis initio, excrementa interdum adhuc liqueſcere & cruentari: quid hâc in re occurrit, quod in probatiſſimi cujuſcunque remedii uſu non accidat, ſi abſque regimine non adminiſtretur? & licet unicâ Guianei corticis decocti aut pulveris doſi etiam rebelles diarrhœas ſanatas eſſe compertum ſit, nùm minoris ideo habendus, ſi non-niſi aliquando quartæ aut ſextæ doſis potione morbum vicerit? Diarrhœâ aut dyſenteriâ pluribus à menſibus vel ab annis laborantium majorem numerum hoc medicamine incolumitatem citius certiuſque quàm ab ullo quolibet alio recuperaſſe ſufficit, idque abſque ullo faſtidio, ſalvis cæteris functionibus, & ſine ullo futuri aliûs incommodi periculo.

Ergo inveteratis alvi fluxibus SIMAROUBA.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bernardus de Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius, & in Horto Regio Botanices Prodemonſtrator.	*M. Guillelmus-Joſephus De l'Epine.*	*M. Joannes-Bapt. Dodart, Regi à ſanctioribus Conſiliis, Archiatrorum Comes.*
M. Franciſcus Mery, Rei Herbariæ, Profeſſor deſignatus.	*M. Ludovicus-Hieronimus Coſnier.*	*M. Franciſcus Goüel.*
M. Joannes-Bapt. Du Bois, Sereniſſimæ Principiſſæ Dotariæ De Conty, Medicus.	*M. Joannes-Ludovicus le Thieullier.*	*M. Urbanus Leaulté.*

Proponebat Pariſiis, ANTONIUS-NICOLAUS GUENAULT, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1730.
à ſextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1730.